



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica  
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

**Valiero, Agostino**

**Coloniae, 1582**

Quomodò commouendi sint parentes & filij. Cap. XXVII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69050)



na celi et terra, aduocata nostra. Quarè recitanda erunt ea, quæ in lib. de virginibus S. scripsit Ambrosius, quorum hæc est summa: vitam B. Mariæ non fœminarum solum, sed humani generis fuisse disciplinam: virginem fuisse corpore & mente, humilem corde, verbis grauem, prudentem; non loquendi, sed legendi studiosam; non in incerto diuitiarum, sed in prece pauperis spem reponentem, intentam operi, verecundam sermone, solitam arbitrum mentis solum Deum querere, neminem ledere, aequalibus non inuidere, fugere iactantiam, rationem sequi, amare virtutem, prodire domo nesciam, nisi cum ad Ecclesiam conueniret, & hoc ipsum cum parentibus aut propinquis. Cum his moribus, fœminarum mores comparans orator, eas increpabit, ad imitationem illius, quam venerantur, cuius auxilium implorant, cuius humilitate & obedientia, infamia fœminei sexus deleta est, excitabit.

Quomodò commouendi sint parentes & filij.  
Cap. XXVII.

**I**AM verò quia inter auditores Christianos multi sunt patres, multi sunt filij, & filius sapiens est gloria patris, ita filius insipiens, & peruersis moribus præditus, non solum est ignominia, sed etiam calamitas patris: excitandi sunt filij, vt non immemores tantorum beneficiorum, quæ acceperunt, & obliti maximorum laborum, quos pertulerunt parentes sui, præcipuo amore, vt paulò antè diximus, illos non solum diligant, sed eis etiam obediant in omnibus, quæ ad administrationem domus, rei quæ familiaris pertinent, hortationes, obiurgationes, &



salutaria medicamenta, ut maxima indicia amoris, accipiant: intelligant filij, se erga parentes suos satis gratos esse non posse, illos omnibus honoribus prosequantur. & verba illa Tobia, quae magnam vim habet ad commouendum, explicet saepe Ecclesiasticus orator: Honori semper habebis matrem tuam, memor enim esse debes, quanta pericula passa sit in utero suo propter te. & quod alio in loco scriptum est, dicat: Gemitus matris nè obliuiscaris. mala fama esse qui dereliquit patrem, & maledictum à Deo, qui exasperat matrem: succurrèdum parentibus, eorum vitam sustentandam, tristitia non esse afficiendos: vituperandos maxime, qui clandestinis matrimonijs eos conturbant, iustissimo Dei iudicio saepe accidere, ut clandestina matrimonia, poenitentia, calamitas, ac etiam infamia consequatur. Exclamet interdum Ecclesiasticus orator, peruersos filiorum mores commemorans, & calamitatem multorum parentum ante oculos ponens, peruersitatem & cõtumaciam filiorum suorum, esse poenam eorum indulgentiae, esse medicinam, quae eorum mollities sanari possit. Quo loco in medium proferat, & pluribus verbis explicet sententiã illam Salomonis in Prouerbijs; Qui diligit filium suum, instanter erudit eum: Et dicat, à natura insitum esse, ut parentes filios suos tueantur & nutriant: atque à sancta religione, in qua nati & educati sumus, hoc singulis impressum esse parentibus, ut à peccatis, quantum in ipsis est, eos reprimant, in bonis moribus instruant: corripiant, quando opus est, ac etiam puniant: stultitiam esse in corde pueri, virgam disciplinae fugare eam: eum, qui parcat virgæ, odio habere filium suum: multos parentes in perpetuam calamitatem incidisse, quia negli-

negli-



negligentia sua, aut indulgentia, filij sui deteriores euaserunt: hac à parentibus postulari, vt filij in ijs erudiantur, quæ ad religionem Christianam pertinent: eum, qui docet filium suum, (vt scripturæ sacræ verbis vt amur) laudari in illo, & in obitu suo non tritari: filium sapientem, lætitiã afferre patri suo: filium stultum, mœstitiã esse matris suæ. Multa occurrēt hoc loco, quibus ignauitiã parētum multorum Ecclesiasticus orator possit reprehendere; quòd multi corrumpunt filios suos exemplo: quòd vltionum eos ministros atque hæredes, vt perpetuò sint miseri, efficiunt: quòd eos discipulos atque adiutores ad occidendos homines vsura, multi exhibeāt: quòd duritia sua filios suos ad iracundiam prouocent, & ita prouocent, vt pusillo (vt inquit Apostolus) animo fiant; quòd plerunq; accidit incontinentibus patribus, qui nouis aut nouercarum, aut meretricum amoribus irretiti, paterni amoris obliuiscuntur: quorum ignominia, ante oculos auditorum, interdum Ecclesiastico oratori est ponenda; eorum maxime, qui patrimonium, quod à parentibus acceperunt, & filijs suis deberent relinquere, iam imminuunt.

Quomodò commouendi sint senes.

Cap. XXVIII.

**Q**UIA diximus distinctos auditores etiam ætate, vt alij sint senes, alij iuuenes, alij media ætate consistentes, hac sumus contenti distinctione; quia exquisitam illam distinctionem ætatum, non est neccesse in medium proferre. Ad senes conuertendus est sermo: qui ob usum rerum, quem habent, cum metuant falli, sine